



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio IV. Quæstio dirempta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

SECTIO IV.

Quaestio dirempta.

SVBSECTIO I.

Tres primæ conclusiones.

§. 25. **D**ico Primò, Formari potest viribus naturæ simplex apprehensio de hoc mysterio. Hæc conclusio à nullo negabitur, præsertim à Medina asserente posse ab angelo cognosci humanitatem esse vnitam Deo, quamuis ignoretur vtrum sit homo. Probatur Primùm: quia intellectus potest apprehendere etiam impossibilia, vt experientia patet: ergo etiam poterit apprehendere mysteria possibilia. Quæ apprehensio est actus valdè imperfectus, & improporcionatus obiecto: ex quo non potest iudicium ferri de existentia aut possibilitate obiecti.

§. 26. Secundò probatur. Angelus comprehendens naturam humanam posset dubitare an illi repugnet vniri alieno supposito, creato aut increato: item cognoscens personalitatem diuinam, potest in vtramque partem disputare, vtrum illi repugnet terminare naturam humanam? Quid enim interdicit angelo hanc disputationem? quid & homini? Quærimus enim an natura diuina possit aliam immediatè terminare? vtrum accidens terminari Verbo: quid ni & alias huiusmodi quæstiones possemus volutare mente, quin aliquid reuelatum fuerit? Eam apprehensionem esse naturalem patet, quia quamuis obiectum sit supernaturale, modus est improporcionatus: vt autem sit actus supernaturalis, exiguntur principia actiua supernaturalia, à quibus accipitur supernaturalitas effectuum.

§. 27. Dico Secundò, Angelus comprehensâ humanitate non potuit euidenter iudicare hoc mysterium esse possibile. Hæc doctrina est tam communis, vt nõ egeat auctoritatis censu, neque videtur ab Scoto negata oppositum asserente de existentia Incarnationis, non de possibilitate. Probatur, quia comprehensâ humanitate illi tantum effectus in ea cognoscuntur qui continentur in eius naturali virtute: sed vnio hypostatica non continetur in humanitatis naturali virtute: ergo comprehensâ humanitate nõ potest cognosci vnio hypostatica. Minor ponitur aliunde: quia nisi vnio hypostatica sit supernaturalis quoad substantiam, non superest quæstio de eius cognoscibilitate, vt dixi §. 12. Maior probatur: quia comprehensâ causâ illi tantum effectus cognoscuntur cum quibus ipsa causa habet naturalem connexionem: quia ratio cognoscendi effectum est connexio causæ cum illo: illa enim connexio manuducit intellectum ad effectum, sicut ab effectu ad causam. ob quod cum inter Theologos disputatur de cognoscibilitate creaturarum in Deo, qui negant eas in Deo posse cognosci, mouentur, quia Deus non est transcendentalis ordo ad creaturas, & sine eo ordine non potest aliquid in alio cognosci, qui autem affirmant posse in Deo cognosci creaturas, mouentur, quia Deus vel est transcendentalis ordo ad creaturas, vel habet connexionem naturalem cum illis: quæ connexio nihil est nisi ad illas connaturales potentia: sed humanitas, neque est transcendentalis ordo ad vnionem hypostaticam, nec po-

Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

tentia naturalis ad illam: ergo non est connexa cum illis.

§. 28. Dices, esse connexionem obedientialem cum illis. Respondeo, istam connexionem nihil esse in potentia obedientiali, sed esse extrinsecam denominationem à voluntate & potentia Dei. Vbi considera, effectus & causas creatas naturales esse reciproce relatiuas: quia causa connaturalis, est transcendentalis ordo ad effectum, item effectus ad causam: ob quem ordinem non solum effectus habet connexionem cum causa, sed etiam causa habet eandem cum effectu. In quo ordine & connexionem potest effectus in causa cognosci à priori, & causa in effectu à posteriori. At verò potentia obedientialis disparatur à naturali, quòd secundum se non habet respectum, neque connexionem cum effectu supernaturali magis quàm si non esset possibilis: neque est potens nisi per extrinsecam denominationem à potentia Dei. Quia quamuis inluit partialiter per entitatem naturalem in genere causæ efficientis, & totaliter in genere causæ materialis: at illa entitas non est causa simpliciter, nisi illi adiungatur extrinseca denominatio à voluntate Dei: quæ denominatio illi entitati minimè debetur. E contra verò effectus supernaturalis, est transcendentalis ordo ad entitatem naturalem ex cuius obedientiali potentia fit, ob quod in effectu supernaturali potest cognosci entitas naturalis: at verò in causa naturali non potest cognosci supernaturalis effectus.

§. 29. Dico Tertiò, Viribus naturæ non potest cognosci immediatè vnio hypostatica in esse possibili aut actuali. Hæc conclusio est communior omnibus ferè Theologis. Probatur primùm: quia viribus naturæ non potest esse species impressa representans vnionem possibilem aut existentem: ergo non potest cognosci immediatè viribus naturæ. Probo antecedens, quia illa species esset supernaturalis: ergo non potest esse solis naturæ viribus. Probo antecedens, quia illa species esset effectus adæquatus in genere causæ secundæ, vnionis hypostaticæ: ergo esset supernaturalis. Antecedens liquet, quia obiectum existens est causa secunda adæquata speciei impressæ sui. Quando autem non existit, & est possibilis, Deus præstat concursus supernaturalem supplens impotentiam obiecti. Consequentiam autem probo, quia effectus immediatè productus à causa efficienti supernaturali, est supernaturalis: vt sæpè probaui. Item species illa impressa est in ordine gratiæ gratum facientis & vnionis supernaturalis: quia est effectus proportionatus vnionis, item est principium actus supernaturalis meritorij, quia ex illa specie oritur per se cognitio supernaturalis, ex qua oritur per se affectus supernaturalis, qui per se utilis est ad augendam gratiam & gloriam: ergo illa species est supernaturalis.

§. 30. Dices, illam speciem esse quidem supernaturalem: at semel producta potest intellectus ea naturaliter vt. Respondeo, illam non posse produci viribus naturæ, quia oritur à principio supernaturali more supernaturali. Item, nisi Deus eleuet potentiam naturalem passiuam, non potest vnio hypostatica producere speciem impressam supernaturalem: quia hæc cum accidens sit absolutum, imprimenda est subiecto naturali, quod sine eleuatione non potest illa consignari: hæc au-

E tem

tem eleuatio est voluntas actualis Dei minimè debita illi potentia qua velit cum illa concurrere ad receptionem effectus supernaturalis. Ergo illa specie non possumus uti solis naturæ viribus: quia illis solis non potest existere.

§. 31. Demus ab vnione hypostatica imprimi angelo speciem supernaturalem, adhuc illa est inutilis sine nouo concursu supernaturali. Probat, quia simul cum specie impressa opus est vt concurrat habitus per se infusus, aut loco illius auxiliium extrinsecum, aut qualitas fluens (pro varietate opinionum:) vel certè si contendas cum P. Vasquez speciem impressam supernaturalem, & intellectum esse causam secundam adæquatam intellectiōnis supernaturalis, sine alio habitu, aut auxilio subrogato pro habitu: adhuc exigitur concursus generalis Dei, qui sit supernaturalis.

§. 32. Dices, illam speciem cum intellectu angelico productum ire cognitionem naturalem, quia res generis superioris potest attingere effectus ordinis inferioris. Contrà. Non qualibet res nobilior potest producere ignobiliorem: nec enim angelus potest producere hominem, neque homo canem, neque canis murem: videmus item species spirituales non seruire imaginationi, neque apprehensionem spirituales appetitui sentienti. Sunt enim instituta ad diuersos effectus: diriguntur enim ad amicitiam & visionem Dei, sicut cognitio intellectus ad dirigendam voluntatem. quod confirmari potest tum ex conceptu imaginis, quæ non potest esse imperfecta à virtute perfecta operante quantum potest; tum quia de ratione causæ supernaturalis est producere effectus supernaturales, vt patet in actu fidei; tum tertio, quia ea cognitio nullo modo est debita naturæ angelicæ.

S V B I E C T I O II.

Quarta conclusio.

§. 33. **D**ico Quarto, absolute vnio hypostatica non potest euidenter cognosci viribus naturæ, & independenter à reuelatione Dei. Quæ doctrina est etiam communis contra Scotum. Probat, quia ex triplici capite posset cognosci: vel immediatè in se ipsa: de quo egi à §. 29. vel in humanitate, de qua egi à §. 27. vel etiam in aliquo actu naturali: de quo disserui contra Scotum à §. 16. tandem potest cognosci ex personalitate diuina. ex hac autem non potest euidenter cognosci: ergo nullo ex capite. Probo Minorem. Quia quamuis persona diuina sit terminus naturæ diuinæ, est tandem per identitatem realem: humanitatem autem non potest terminare per identitatem, sed per modum realiter distinctum, vt constat disp. 21. sed ex terminatione per identitatem non potest euidenter colligi terminatio per

modum realiter distinctum: quia hic repugnare videtur, estque valde absimilis terminationi per identitatem.

§. 34. Confirmatur: terminatio per identitatem est immunis omni mutatione: omnis autem terminatio creata inter extrema creata est cum mutatione vtriusque extremi: ergo ex terminatione per identitatem non potest euidenter colligi mutatio per modum distinctum. Nam ex conceptu terminationis creaturarum id non potuit colligi, quia omnes conueniunt in mutandis extremis.

§. 35. Dices: In vnione hominis materia terminat informationem quin per illam mutetur: ergo potuit idem argui in Deo. Nego consequentiam: quia licet informatio non mutet materiam, at coniuncta est materializationi eam mutantis: informatio igitur arguit radicaliter mutationem formæ: ergo ex hac terminatione non potuit euidenter colligi alia quæ nec formaliter, nec materialiter, arguat mutationem.

§. 36. Confirmatur Secundo. Personalitas est formalis perfectio naturæ: natura autem creata perficitur subsistentia, tamquam subiectum forma: quod genus perfectionis est inter vtrumque extremum incompletum & imperfectum. Item vnio subsistentiæ & naturæ est ad constituendum hominem: at Deum posse hominem constitui non potest euidenter cognosci independenter à reuelatione Dei: & quemadmodum humanitas non potest esse intelligens formaliter per intellectiōnem Dei, ita posset angelus intelligere illam non posse esse subsistentem formaliter subsistentiæ Dei: vix enim reddimus discrimen vllum.

S V B S E C T I O III.

Quinta conclusio.

§. 37. **D**ico Quinto, omnia mysteria fidei posunt supposita reuelatione cognosci actu naturali euidenter secundum quid, eo genere euidentia quod ex P. Valentia explicui §. 3. nempe ita possunt defendi ab impugnatore, vt ostendatur nullum argumentum esse euidenter. Probat, quia reipsa nullum prædicatum oppositum mysterijs fidei posset euidenter ostendi: nam cum falsum, sit non potest reipsa monstrari; sed quod falsum est, quantumuis appareat verum, potest euidenter ostendi esse falsum: quia recursu ad omnipotentiam Dei potentis plura quam nos possumus cognoscere, possumus dilui argumenta. Nec tamen propterea ita responderetur euidenter, vt arguens euidenter cognoscat falsitatem sui argumenti. Quamuis enim alicuius argumenti fallitas monstratur aperte, non tamen omnium: quod si omnium rationum fallitas esset aperta, probaretur aperte mysteria esse possibilis: quia ad eam demonstrationem satis est ostendere aperte omnes rationes esse falsas.